

I V L I I C A E -
S A R I S S C A L I G E R I
E X O T E R I C A R V M E X -
E R C I T A T I O N V M

L I B E R X V .

D E

S u b t i l i t a t e ,

A D

H I E R O N Y M V M C A R D A N V M .

*In fine duo sunt INDICES: prior breuiusculus, con-
tinens sententias nobiliores: alter opulentif-
simus, pene omnia complectens.*



F R A N C O F V R T I .
A p u d h a e r e d e s A n d r . W e c h e l i ,
M . D . L X X X I I .

Ex bibliotheca H. S. Caroli, in athenis

inter quadrupedes temperamento constitutus Elephas, iccirco vivit diutissime: igitur aut optimū temperamentum simpliciter, est causa longæ vitæ: quare homini non optimum, quia vita non longissima. Aut si in quadrupedū solo genere optimum temperamentum longæ vitæ causa est: non erit simpliciter causa, sed forma ipsa, conseruans id, quod sibi comparauit. Hoc autem nō est optimum in Natura, diutissime viuere, sed sapientissimè. Hominis enim vita non hæc est, sed via ad vitā, quæ æterna est. Alijs animantibus quod adest, suum ipsorum est. Homini quod adest, est propter id, quod abest. Abest enim, quod suum ipsius est. Haud eo inficias, temperamentum esse quasi instrumentū formæ ad conseruationem: sed nego, esse per se causam. Non est igitur Elephanto optimum temperamentum ad viuendum diu: quia esset optimum in Olea, aut Palma, aut Ulmo, quæ diutius viuunt. An verò temperamentum optimum attribuat suillo generi Galenus: propterea quod humanis simillimas carnes illas iudicari: in Commentarijs nobilium exercitationum satis disputatum est. Neque magnitudinem, neque paruitatem agnoscit Philosophus vitæ longæ, breuiſve causas, in libro super ea re peculiari.

*Subtiliff.**Pulcher.*

EXERCITATIO CCV.

Monoceros. Rhinoceros.

QVONAM malo fato à Grammaticorum ferula toties subductus in Philosophorum plagas incidisti? Nequeo tibi, Cardane, opitulari, qui Monocerotā sub Rhinocerotis nomine pinxisti: quum dux sint bellæ longè diuersissima. Rhinocerotis eius picturam vidimus, cuius cadaver è naufragio eiectum est in Tyrrenum litus. Capite suillo, tergo manitus scutulato. Cornu gemino, altero pusillo in fronte, altero in nare robustissimo, quo audacissimè pugnat, ac vincit Elephantum. Vt iam desinant nugari Grammatici, de gemino cornu apud Martialem. Monocerotis autem figuram ex Vartomani facetissima narratione huic adscribemus. Unicornibus Equi magnitudo: crura pedes, caput, Cerui. Pili color balius. Equi iuba, ra-

rior, breuior. Coxæ villosæ. Cornu vnum integrum Niceæ vidimus: alia alibi. Suffuluum vnum: vnum subduteum, accedens maximè ad buxum: vnum subpunicè. Etiam habemus frustum candidum. Negat Vartomanus ferocem esse: contrà quàm ab alijs vulgò acceperamus. Tametsi cæteram quoque historiam animaduertas à multorum narrationibus discrepantem. Sed Vartomano, viro optimo, qui sese duos vidisse scribit, habenda fides est. Quidam recentiorum, qui alienis operis suas interpolant merces, Orygem, atq; Monocerotem eundem esse arbitriati sunt. Credo quòd legerent: *ἀρύξ μονοκέρας*. Cæterùm hoc eius epitheton est. At huic nostro, quo de agimus, nomen proprium. An sit Asinus Indicus, in Aristotelicis Commentarijs est à nobis explicatum. Iidem maiore etiam flagitio cum Gazella Orygem confundere.

EXERCITATIO CCVI.

Elg. Suber. Bison. Aurox.

SI NOSTRORVM seculorum nomina sequamur, historia facilis est. Sed veteribus aptare, non facile est. Quamquam inter se recentiores quoque disident. Elg igitur, aiunt, significare Asinum syluestrem. Nihil tamen habet Asini. Surzeri sic appellant animal, Cerui facie, collo, cornibus, vngula. Cui præterea sunt in armis iuba: coxendices hirtissimæ: villi rariore ad palearia. Iccircò hunc esse puto, quem Plinius Bisontem vocat. A nostris Germanis, Aurox, si rectè memini. A Lituanijs, aiunt, Suber, dici. Latiuscula ei, quàm Ceruo cornua, sed breuiora.

2. *Elk. Ranger. Rangifer. Alce. Machlis.*

HINC tollendi sunt errores aliquot. Primus est cõiunctus cum Plinij ignauia. Is enim Alces nomine posito, nihil apposuit eius, vel figuræ, vel naturæ. Cæsar autem Capræ formam attribuit, magnitudinem paulò ampliorem, sed suffraginum carere flexu. Plinius hoc adscribit feræ huius simili, quæ sit Scandinaviæ peculiaris: appellatq; Machlin. Ego Alcem Elk puto: quæ sit alia ab Elg Suizerorũ. Eos